

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
EXCRETIONE
VRINAE IMMIXTA
ET SUPPRESSA

QVAM
PRAESIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM
ET PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIAE CAESARAE NATVRAE CVRIOSORVM
ET REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA RITE
OBTINENDIS HONORIBVS

D. IVLII ANNO MDCCCXXXVIII.
HORIS LOCOQVE CONSVETIS
PVBLICO

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPH. GOTTL. BORNMANN
LEOBERGA SILESIVS.

Pathol. spec.

421, 18

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS CHRISTIANI RIEMERI ACAD. TYPOGR.

morb. spec. 1162

VIRIS
PRAENOBILISSIMIS CONSVLTISSIMIS
AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS
PATRIBVS
CONSCRIPTIS

APVD
LAVBANENSES

PER
OMNIA OPTIME MERITIS

PATRONIS AC FAVTORIBVS

SVIS AESTVMATISSIMIS

OMNIQVE

ANIMI PIETATE ET DEVOTIONE

COLENDIS SVSPICIENDIS

HOCCE

SPECIMEN INAUGVRALE

GRATISSIMI ANIMI

MONVMENTVM

D. D. D.

AVTOR

CHRISTOPHORVS GOTTLOB BORNMANN.



Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

EXCRETIONE VRINAE
IMMINUTA ET SUPPRESSA.

PROOEMIUM.



uum mihi cogitandum esset de
themate aliquo, quod disserta-
tionis idoneum argumentum
præberet, quam speciminis in-
auguralis loco exhiberem: fa-
teor mihi difficile fuisse visum, aliquid inueni-
re, quod non fuerit iam sæpius excussum pu-
bliceque propositum, adeoque mihi necessita-
tem imponeret sæpissime dicta tantum repe-
tendi, & vt prouerbio dicitur, crambem reco-
quendi iam toties coctam. Commode autem

A 3

in

in memoriam rediit casus foeminæ cuiusdam per multos annos miserrime cum aduersa valetudine conflictatæ, cui ad multa alia incommoda tandem superueniebat vrinæ omnimoda suppressio, quæ per nouem dies ita continuabat, vt expediri nullo pacto posset, vitæque finem adferret. Hanc calamitatibus suis defunctam cultro subiicere & causas huius extremi symptomatis coram intueri licuit. Hic itaque miserrime excruciatæ feminæ casus animo meo videbatur dignus ampliori consideratione; quam instituere non poteram, quin omnem scholæ medicæ doctrinam de excretionē lotii vitiata perpenderem, & causas eius varias considerarem. Hinc mihi enata est hæc, quam oculis B. L. nunc subiicio, inauguralis dissertatio, primus ingenii mei foetus, quem æquæ & benevolæ diiudicationi viro- rum in artis operibus magis versatorum ita subiicio, vt veniam ipsos rogem, si minus argumenti dignitatem assequutus fuerim, multaque forte omiserim, quæ ipsis longo rerum vsu cognitissima fuere reddita: aut si non ubique attigerim illas vias, quæ ad promptam in tali rerum statu opem, & optatum auxilium paratissima deprehenderunt.

§. I



§. I.

De vrinae excretionem imminuta vel suppressa acturis, non videtur multum esse laborandum, ut declaretur, quid sit vrina: quum omnibus putem esse notissimum, hoc nomine denotari obscœnum illum liquorem, quem & lotium vocamus, quique in renibus secretus per vreteres ad vesicam defluit, deinde, ubi nos copia sua distendente admonuit, relaxato sphinctere vesicæ, & pressione sua adiuuantibus musculis abdominis, per vretrem foras emittitur. Eundem liquorem esse potissima sui parte aquosum, sed sulphureis, terreis ac salinis particulis conspicue imbutum, quanquam non eodem gradu & proportione in omnibus indiuiduis, nec in iisdem diuerso tempore, ita notum est, ut hic in tempestiuum esset, multa de eo verba facere.

§. II.

Sed & omitemus hic omnem quæstionem de secretionem eius a massa sanguinea, quæ in renibus naturaliter constitutis fieri supponitur, quando excretio debet succedere. Nam ubi nulla fit eius secretio, neces-

ces-

cessarium est cessare excretionem. Talem in scholis medicorum pridem annotatam legimus, & nomine ischuriæ spuriae notatam a GALENO & RIVERIO, qui nothæ seu spuriae nomine eam censent, eodemque indicant, quod vitium, urinae excretionem imminutam vel suppressam inferens, proprie inhærescat illis organis, quibus urina iam secreta continetur. De illis itaque mox dicturi sumus, si absoluerimus de his, quæ ad rationem denominationis pertinent.

§. III.

Græci hunc affectum vocant ischuriam, quasi *retentionem urinae*, ab ἰσχω *retineo, detineo*, & οὐρα *urina*. Latini appellant *urinae suppressionem*. Notat autem hoc nomen absolutam eius retentionem, quando nihil, donec malum emendatum sit, emittitur. Quod si vero non nisi guttatim & cum magna molestia parum eius exprimitur potius & nitendo propellitur, quam promte sponteque ad nutum & consensum nostrum emittitur, alia dantur nomina huic vitio significando. Nimirum stranguria vocatur, quando non nisi guttatim & cum magno dolore redditur. Dysuria est, quando non quidem guttatim, sed tamen non sine magna difficultate per vices prodit, minus quam naturali statu & ordine consueuimus. Hanc proprie intelligimus excretionis imminutæ nomine, quemadmodum omnino cessantem redditionem, etiam quando stimulum & necessitatem sentimus, eamque omni conatu perficere molimur, suppressæ excretionis appellatione, seu quod apud Græcos idem valet, ischuriæ nomine dignam æstimamus.

§. IV.

§. IV. Quo vero nobis magis planum sit iter ad indolem ac causas huius mali indagandas progressuris, subiectum eius, seu partes, quibus inhæret, paucis antea lustrabimus. Sunt autem omnes illæ, quas lotium in renibus semel secretum percurrit, donec exitum suum extra corpus inveniat. Vbi primum sanguis renum corpus subiit, arteriæ eius per exteriorum eorum substantiam in infinitos tenuissimos ramulos diuiduntur, qui quando in venas reflectuntur, a se dimittunt tubulos quosdam, quos *urinarios Bellini* vocamus, & sunt proprium *urinæ* secretorium. Coeunt hi in aliquot papillas multis foraminulis in peluim hiantes, atque productionibus quibusdam a pelui circumdatas, vt immediate recipiant *urinam* ab his papillis primum excretam.

§. V.

Peluis hæc initio sui instar infundibuli cuiusdam ampla & dilata, tandem aliquantulum angustatur, vt calami scriptorii capacitatem retineat, atque hunc canalem Græci *σφραγίς*, latini *ureterem* appellant, qui a rene sub peritonæo descendens ad vesicæ inferiorem & posteriorem partem oblique se per membranas eius immittit, singulari artificio, quod anatomica doctrina clarius proponit, vt non facilis sit refluxus eius, quod semel cauum vesicæ intrauit.

§. VI.

Iam vero ipsa vesica paucis consideranda venit. Est vero vesica corpus pyriforme cauum, membranosum, in pelui sub expansa peritonæi lamella situm, multa pinguedine circumfusum, quæ expansæ locum

278

B

con-

concedit, eandem vero euacuatam & intra se retractam subsequitur. Anteriori sua parte os pubis & musculos abdominis respicit: posteriori peluim, a cuius cauo ambitu solo interueniente peritonæo disseparatur. Collo suo, vræthræ continuo, in progressu plane cum intestino recto arête in viris iungitur, in feminis cum eodem, interposita vagina vteri. Quo autem loco in viris est illa cum intestino connexio, interiacent in superiori spacio vesiculæ spermaticæ. Colli extremum cingit, & arcus specie ambit, series fibrarum musculosarum transuersa, cui nomen sphincteris, id est musculi constrictorii, ab antiquo datum est: quippe illius viribus exitus præcluditur, donec voluntate nostra annuente eadem remittat actio, sicque exitum laxet, & contenta vrina proprio pondere, tum vero etiam compressione & strictura vicinarum partium, expellatur.

§. VII.

Habet autem vesica propriam sibi muscularem tunicam, ex vario fibrarum tractu compositam, quarum actione constringere se valet & angustare, sicque contentum fluidum exprimere. De hac vero tunica non eodem modo loquutos anatomicos videas. *BEDDEVOLE* in *Essais d'Anatomie*, triplicem fibrarum seriem, nempe longitudinalium, circularium & transuersalium statuit, quas tamen *BOHNIVS* in *Circulo Anatomico Physiologico* se non obseruasse tradit, sed vnicum modo, & quidem longitudinalium fibrarum tractum cerni credit. Hæc tunica vero, inter communem & nerveam plerumque media, muscularis, a nonnullis musculus aperte dicta fuit. Sic *HIERONYMVS*

MVS

MVS AB AQUAPENDENTE, quem sequutus est SPIGELIVS, eam, quia fibras perspicue carnosas habet, ita nominavit. Quem autem musculum CHESELDENIVS in *Tra-ctatu de Lithotomia* & COWPERVS in *Myotomia nova*, sub nomine musculi detruforis urinæ delineauerunt, nihil aliud est, quam tunica hæcce muscularis vesicæ, sphin-cteris antagonista, & qua urina ex vesica pellitur. Vt-terioremem huius membranæ disquisitionem, an scilicet fit verus musculus, an vero tantum membrana dicen-da, accuratiorum anatomicorum iudiciis relinquimus, quoniam nobis fere vnum idemque esse videtur, an muscularis membrana, an vero musculus sit nominan-dus. Sunt prætere nonnulli, inter quos BIANCHVS, qui novos vesicæ musculos, quos eleuatores & depres-sores appellavit, describunt. Verum enim vero hi mu-sculi a MORGAGNO in *Aduersar.* III. & SANTORINO in *Obs.* Cap. X. N. 10. varium in modum impugnantur. Hanc muscularem laxè cingit & circumuoluit membrana a peritonæo deducta, certe cum illo connexa, cellula-ris, plerumque multa pinguedine repleta & extensa; de qua videatur Exc. D. D. HEISTERVS. Tertia deni-que membrana, intima, tenuis & exquisite sentiens est, nominatur vero tunica sive membrana neruea, & ob-ducitur humore quodam mucoso, qui humor ab glan-dulis ipsius huius membranæ, prope collum vesicæ conspicuis, secernitur, & crusta quasi tunicam hanc nerueam circumcingit; quo a nimia urinæ acrimonia tuta atque secura sit.

§. VIII.

Magnitudo vesicæ tanta est, vt in adulto ho-mine circiter vnam liquoris libram capiat: quanquam

sunt visi, qui maiorem etiam quantitatem continere valerent. Atque hi fere sunt, qui & multum potare in iuuentute adfueuerunt, & non soliti sunt ad primam admonitionem ac sensum pressionis urinam emitte: in quo fere simul se exercent, qui ad gloriolam in magnis multisque poculis exsiccandis adspirant. Quam fundatum sit, quod pulmonibus & vesicæ intercedat mutua relatio, vt, qui illis amplioribus gaudent, hanc quoque capaciolem habeant, inquirendum aliis permittam. Huius autem sententiæ patronum BARTHOLINVM esse memini.

§. IX.

Vesicæ continua est vrethra, seu canalis in viris satis longus, membranis duabus satis robustis, interiecta cauernosa quadam substantia, constans, suaque singulari hac structura ad erectionem & inflationem disposita: quod RVYSCHIVS, si recte memini, primus omnium docuit. Non omittenda est hic mentio bulbi, seu protuberantiæ prostaticæ proximæ, vt & prostaticæ, capitis gallinaginis & diuersorum ductuum excretoriorum, magis vel minus patentium: quæ singula vel verbo attigisse sufficiat, quum anatomici de his accurate præcipiant. Feminae breuiorem hunc canalelem habent inter vaginam & os pubis decurrentem.

§. X.

Vasa enarratæ hæ partes nanciscuntur a vicinis. Sic vreteribus a peritonaeum perreptantibus arteriolis sanguis adfertur, venæque se coniungunt eiusdem membranæ venis. Ad vesicam pertingunt rami ab hypogastricis ac hæmorrhoidalibus, in feminis etiam ab uterinis. Nerui sunt paris intercostalis propagines;
ad

ad quas accedunt ex osse sacro suppetiæ. De vasis lymphaticis parum explorata res est: vesicæ tamen vatorum huius generis meminit ZELLERVS: in pene autem ea pulchre delineata a DRACKIO & COVVERO laudat EXC. HEISTERVS.

§. XI.

Partium itaque, quas longo ordine recensuimus, alicui morbus, tamquam subiecto, inhæret. Causa vero eiusdem vix non semper earundem alicui infidet: siue illa in corpore quodam præternaturaliter concreto & obstruente consistat, siue partium, per quas fluere vrina debebat, constrictione spasmodica, indeque orta angustatione proueniat; siue demum a nimia relaxatione & fibrarum expulsionem vrinæ dicatarum flacciditate, atonia, vel omnino paralyfi proueniat: aut aliquod malæ conformationis vitium subsit, vt viæ coaluerint, vel a corpore quodam duro adiacente comprimantur, vt vrinæ profluxuræ non liceat vim sibi resistens obstaculi remouere & superare, aut vesica loco suo prolapsa sit. Quod si fiat, necesse est partes connexas cum immediate patientibus initio maxime affligi, deinde vero noxam ad ceteras etiam propagari, vt valde multa inde oriantur incommoda. Rarum est, sed non omnino inauditum, præsertim in valde senibus, quod vrina instar visci crassa & tenax, suppressioni, aut saltem dysuriæ causam præbuit. Sed de his singulis seorsim exponendum erit, vt & varietas causarum ac differentia graduum morbi patefiant: & tam prognosis quam curandi rationes dispalescant.

§. XII.

Inter causas frequentissimas vrinæ retentæ & suppress-

pressæ primo loco debent referri concrementa calculosa urinæ defluxuræ sese alicubi, tamquam agger flumini, obiicientia. Hanc vero causam in hominum isehuria mortuorum cadaveribus deprehensam sat multis obseruationibus studiose congestis comprobat THEOPH. BONETVS in *Sepuchr. Tom. II.* inde a pagina 605. ad 612., vt nouis conquirendis & adiiciendis omnino supersedere liceat. Deprehensa autem sunt illa in ipsa vreterum pelui: ita impacta, vt omnem eius capacitatem opplerent & clauderent: alio tempore vni maiori calculo, ibi vel in progressu vreterum impacto, superuenientes plures minores, aut sabuli copia, sese superingresserunt, & sic demum vel ostium omnino clauderunt, vel acutis & pungentibus suis angulis dolorem excitando quos spasmi illico excipiunt, sic effecerunt, vt constricto arcte vretere tam calculis & sabulo, quam lotio progressus adimeretur. Non raro visum est calculos istos, vna cum sabulo superaggesto, eo loco substituisse, vbi vreteres obliquo itinere inter vesicæ tunicas transeunt: ex quibus angustiis aliqui non emergentes, sed folliculum sibi illo loco parantes, perpetuo subsistunt, & ab vrina deinceps præterlabente continuo augmentum capiunt, donec ad tantam magnitudinem perueniant, vt omnino nihil imposterum præterfluere, quin vesica expandi satis non possit. Miseri sunt, quibus hæc causa subest, quia exiguum ac tardum, sæpe nullum ipsis ab arte suppetit remedium aut auxilium.

§. XIII.

Id vero, quod diximus, causæ genus aliquando vtrique simul lateri inhærescit; sicque omne iter urinæ præcludit. Sed aliquibus tantum alterutrum latus occupat;

cupat; quibus aliqua superest vrinae excretio, nisi vehementissimi dolores, seseque longissime diffundentes, alterum etiam latus vehementi spasmo correptum stringant & contrahant. Sunt omnino viri docti, qui ita statuunt, vrinae secretionem aut excretionem in alterutro latere sublatam vel vitiatam, non manere sine oppositi lateris communionem in eodem vitio. Sed vt facile concedo illud per vehementiam spasmodum fieri; ita non video, cur non cessante & sublato spasmo alterum latus integrum facere officium possit. Certe homines obtingunt per complures annos multum a calculis torti, quibus alter ren vel omnino integer vel multo integrior est: vt appareat non esse necessarium, vt actione vnus læsa vel omnino etiam sublata, eadem etiam in altero illico cesset & effœta (vt loqui aliqui amant) reddatur pars illa compar. Rara est eorum felicitas, quibus in vretre hærens calculus, & illa parte eum valde extendens, vrinam tamen finit præter fluere: quod a se visum testatur FR. DE LE BOE SYLVIVS *prax. Libr. I. cap. 56.* Verosimile est figuram calculi minus angulosi & acuti hic aliquid facere, vt non irriter tunica vreteris valde sensibilis. Et forte occalluit in illo subiecto ea tunica, postquam sæpius a transeuntibus calculis attrita & indurata fuit.

§. XIV.

Quod in renum pelui aut vretre subsistens calculus sabulumue aggestum potest; idem accidit vbi calculus ex amplo vesicæ spacio in angustas colli eiusdem fauces illapsus, ipsisque firmiter impactus detinetur. Quod si omnino maior is est, quam vt expelli per vrethram possit, valde ancipiti periculo ægrotum, &

& intolerabili fere tormento subiicit. Si propelli ad exitum potest, non sine maximo fit incommodo, ipsa urinae copia a tergo premente & latera arcti ductus distendente & amplificante: id quod de vteribus pariratione obseruatur, cum eo tamen vt hi, vtpote molliori & sequaciori substantia praediti, facilius amplificentur; inque aliquibus intestinorum instar dilatati, vel toto suo spacio vel aliquanto, visui obtingant. Etiam hic obseruationes, in tanta tamque quotidiana earum copia, adducere superuacaneum ducimus.

§. XV.

Calculis similia obturando & iter impediendo faciunt tubercula & excrescentiae in vesica aut vrethra, ex quacunque demum causa nata fuerint, obhaescentia. Refert GASSENDVS *in vita Peirescii*, doctissimum hunc virum, & doctorum virorum patronum maximum, vitae exitum accepisse a caruncula callosae substantia ad sphincterem enata & exitum urinae obturando impediente. Similem excrescentiam mollem & instar glandis quercus oblongam vir illustris FRID. HOFFMANNVS, quum in thermis Carolinis ante hoc triginta iam annos esset, obseruauit in quodam illustris. Comite, atque TVLPIVS *l. c. p. 627.* adductus. Sed omnium clarissimus est casus, quem FABRIC. HILDANVS *cent. II. obs. 65.* adducit, senis iam LXXX. annos supergressi, in quo, infinitis molestiis tandem confecto, scirrhum magnitudinem oui gallinacei adaequantem unciasque duas pendentem, in ipsa vesica, & quidem ante collum eius pertinaciter adhaescentem inuenit, qui catheteri maiusculo adhibito aliquoties retrudi se patiatur, minusculo haud parebat. Bina istius modi tubercula in vesica vtrinque
orifi-

orificio opposita vidit TH. BARTHOLINVS *cent. II. hist. 52.* Erant forma & magnitudine testium æqualiter se supra foramen voluentia, quæ cedebant quidem syringa immissa, sed statim recedebant in pristinum locum illa extracta. Illis qui gonorrhœa virulenta laborant, perquam frequens est omnem lotii effluxum a caruncula vrethræ prohiberi: eandem, quando necessario adhibitis cathæreticis absumta est, cum profluente vrina expulsam contemplari licet.

§. XVI.

Porro inter frequentissimas ischuriæ causas referri debet tumore inflammatorio affectum vesicæ colli, quo iter vrinæ exituræ præcludi, aut valde saltem difficile reddi, necesse est. Eiusmodi tumor, si plane in scirrhum vel callum abit, vix emendabilem mali causam præbet: quod visum & notatum videre licet apud BONETVM *l. c. p. 627.* Eodem pertinent vlcera in collo vesicæ, quæ quoties vrina præterfluens attingit, vehementi dolore corripuntur sicque spasmus toti parti inducunt. Non semel visum est istiusmodi ægrotis catheterismum non solum grauissimos cruciatus attulisse, verum etiam, vbi chirurgus vi aliqua intrudere illum ausus fuit, graues hæmorrhagias, mox maiorem inflammationem cum gangræna & sphacelo consequuta fuisse.

§. XVII.

Vidimus hæctenus illas causas, quæ in vreteribus, vesica, vrethra hærent. Sed non solæ hæ sunt, quæ hominem excruciant, & ad mortem rapiunt; verum etiam extra has enarratas vias in propinquo hæsisse causas compertum fuit. Sic in quibusdam, qui vrinam emittere nullo pacto poterant, nulla fuit alia causa re-

C

perta,

perta, quam quod alvus dura scybala intestino impa-
cta tenebat. Talem casum recenset WEPFERVS *de apo-
plex. p. 357.* senis scilicet, qui totis octo diebus non po-
terat urinam proiicere, donec aluus pertinaciter ad-
stricta recluderetur clystere iniecto. Nec obscura est
ratio. Intestinum enim expansum vesicæ collum pre-
mit, quod antea cedere nequit, quoniam ossi pubis
adiacet. Fere idem accidit in parturientibus, quando fœ-
tus in angustiis faucibus diu obhærescit: unde non raro,
postquam partus exclusus est, magna inflammatio, ipsi-
usque colli in vaginam penetrans exulceratio prouenit,
a qua deinceps miseræ feminae tota vita laborant in-
continentia urinæ vix penitus corrigenda.

§. XVIII.

Porro inter causas referri debet, si quando vel
steatoma, vel aliud tuberculum durum, collo vesicæ pro-
pius adiacet, vt illud, quando augetur, comprimat,
sicque urinæ exitum prohibeat. Eiusmodi tubercula
subinde inter vesicam & intestinum rectum, aut in femi-
nis, vaginam vteri obueniunt. Ostendit mihi D. D.
PRAESES ex suis aduersariis anatomicis aliquam obser-
uationem de viso tali tuberculo, quod nucis moscha-
tæ magnitudinem fere superabat & materia zibetho per
omnia simillima, nisi quod odore carebat, repletum erat.
Illud in isto loco positum erat, vbi vesicæ collum cum
vagina coalescit, forteque miseram effecisset temporis
progressu illam feminam, nisi ob causas, nescio quas,
vitam voluntario suspendio iuuenula finiuisset. Stea-
tomatis prægrandis, quod urinæ reddendæ admodum
obfuit, meminuit BARTHOLINVS *cent. I. hist. 23.*

§. XIX.

§. XIX.

Etiam visi fuerunt quibus vesicæ vrinariæ aliqua portio, cum aliis herniam formantibus, prolapsa fuit. Meminit huiusmodi affectus IO. PALFYN in tractatu *de operat. chirurg. cap. 10. p. m. 106. vt & pag. 91.* vbi testem FR. RVYSCHIVM laudat, qui obseruauerit tales vrinam emit-tere non posse, nisi vtraque manu tumorem in infima sua regione comprimant, sicque lotium ad superiora compellant, vt collo vesicæ illabatur. BARTHOLINVS *cent. II. hist. 95.* fide *αυτόπτε* refert de eiusmodi hernia, vbi cum intestinis tenuibus vesica in scrotum prolapsa fuerat, vnde ægroto post vrinæ diuturnam detentio-nem moriendum fuerit. Singularis est casus quem FEL. PLATERVS *prax. med. tom. I. p. m. 442.* refert, quem ipsius verbis integrum adscribere non pœnitet: *Infle-xa seu contorta vesicæ cervice, sic vt in intestinorum conuol-vulo accidere diximus, vrinam penitus suppressam fuisse in piscatore obseruauimus, cui vesica, facta ruptura (hernia) in inguine, in scrotum descenderat, vbi admodum distenta la-tebat, nec vrinam, vel cathetere immisso reddere potuit, do-nec chirurgus, inscius vesicam esse, dum sectionem tentat, vesica vulnerata vrinam profudit, ægroque statim leuamen, sed summum periculum peperit, a quo tamen liberatus, fistu-la illic relicta, per eam vrinam, quando vult, extracto pitta-cio, quo eam alioquin retinere & foramen occludere solet, emittit.*

§. XX.

Nolo multum immorari rarioribus causis inuen-tis, vbi vel a natiuitate adfuit vitium aliquod organis vrinæ secretioni dicatis; qualia memorantur insignis vreterum angustia, penis male conformatus & quæ

sunt alia rarioribus adscribenda. Visi etiam sunt, quibus post calculi exfectionem vel illico remanserunt vlcera fistulosa, vel post aliquot annos enata sunt, unde vrina non potuit per ordinariam viam reddi, sed cum fœcibus alui per intestinum rectum, aut in feminis per vaginam effluxit. Quin prorsus non videntur tales casus ad excretionem vrinae cohibitam iure referri: quum excernatur utique, sed non loco & modo, quibus naturaliter debebat fieri.

§. XXI.

Progredimur potius ad indagandas reliquas causas, quæ veram ischuriam induxisse sunt deprehensæ. Has inter potentissima est neruorum resolutio, quam Græci paralyfin vocant, quæ efficit, vt vel sphincter non referari possit, vel musculares vesicæ fibræ officium non faciant. Senibus hoc vitii genus magis familiare est, quam iunioribus. Casus recentent SMETIVS *miscell. medic. Libr. X. pag. 525* WEPFERVS *de apoplex. p. 394.* Sequentem a D. D. PRAESIDE accepi: Rusticus homo Februario mense, die gelidissimo, matutinis horis in horto laborabat, inutiles ramos arborum resecando. Vt vero tunc solet esse fragilissimum lignum, quando succo arbores iam turgent, isque congelatus est; fiebat vt ille ramus, cui pedibus insistebat, omnino defringeretur, atque homo ex satis alto spacio in duram humum ita laberetur, vt dorso impingeretur satis crasso ligni stipiti, qui illo loco iacebat, sicque vertebræ lumborum frangerentur. Omnino hinc impotens erat ad artus inferiores mouendos; nec quicquam præsidii ab arte aduocatorum medici & chirurgi consequeretur. Primum autem, de quo conquerebatur, erat vrinae detentio:

tentio:

tentio : quæ, cum cathetere immisso facile educeretur, factum est, vt deinde semel apertus sphincter sese non constringeret, omninoque perpetuum per pauculos, quibus supererat dies, maneret vrinæ profluuium.

§. XXII.

Eodem magna quidem ex parte pertinet casus, quem Lipsiæ intueri licuit, deducente me ad ægotam & mortuæ dissectionem D. D. POHLIO, cuius, tamquam præceptoris optime meriti, cum gratæ mentis testificatione meminisse oportet. Femina erat annum agens XXXVII. quæ inde ab anno ætatis quinto epilepticis motibus vehementer obnoxia, vt tandem contractura artus rigidi redderentur, reliquo autem corpore paralyseos manifesta præberet indicia. Prius quam vitam misera cum morte commutaret, conflictandum ipsi insuper erat cum vrinæ omnimoda obstructione, nulla arte referabili. Extinctam a. d. XV. Octobris anni nuper præterlapsi cultro subiicere licebat. Abdominis tumor insignis erat exterius conspicuus. Dissecantibus occurrebat vesica suo loco, admodum expansa & ultra quinque libras lotii continens. Eius autem sphincter tam arcte constrictus erat, vt ne tenuissimum quidem stilum traicere per illum liceret. In posteriori ceruicis vesicæ parte inflammationis conspicua signa visebantur. Ipsa vesicæ substantia, propter fibrarum nimiam extensionem, erat tenuissima.

§. XXIII.

Sed & dantur ægoti, in quibus nulla calculorum aut sabuli suspicio, minus autem eorum indicium reperitur: quique ab omni inflammatione aut vlcere in viis, per quas vrina fluit, liberi sunt; porro etiam pa-

ralyseos nullum indicium faciunt, & tamen primo quidem imminuta urinæ excretionem, post aliquot tempus ischuria laborant. Talem casum proponit RIEDLINVS *Act. A. N. C. Cent. II. obs. 165.* atque omnino videtur huiusmodi fuisse ægrotum senem, cui REIN. SOLENANDER scripsit consilium, quod libr. I. legitur XVIII. Nihil hic est, quod accusare possimus, præter atoniam & laxitatem tunicæ, quæ vesicam cingit, muscularis, quem musculus detrusorem urinæ ab aliquibus dici supra monui. Notabile est, quod in talibus initio fit mera indolens impotentia ad primum nutum urinam emittendi: ex quo fit, ut occupati tolerant collectam copiam non adeo urgentem, unde magis magisque expansa vesica tandem magis debilitatur, atque virtus musculi constrictoris eneruatur. Id si diutius fiat, euenire potest, quod TYCHONI DE BRAHE fatale fuit: quodque videtur accidisse piscatori, de quo EXPLATERO supra retulimus, ut fundus magnopere expansus pondere suo deoluatur supra collum vesicæ, idque intra se recipiat, eo modo, quo se intestina sæpius mutuo suscipiunt: deinde premendo strangulet partem intus susceptam, cohibitoque humorum libero progressu stasin, inflammationem, gangrænam, mortem inducat.

§. XXIV.

Observationes de tali atonia & flacciditate nullas vidi, nisi in valde senibus factas. Neque tamen dubito dari etiam in iunioribus, qui ab parentibus calculosis nati sunt, eiusmodi dispositionem, an morbi a longinquo incipientis initium. Certe mihi notus est diuitis mercatoris filius, podagra & calculo maxime cruciati, qui quum nondum XXX. annos superasset, sæpe

sæpe matulæ per integrum horæ quadrantem adstat, antequam urinæ fluxus succedit, idque sibi in singulos annos grauius accidere, non sine metu finistri euentus, annotat: quanquam nondum calculi vllum signum, sed nec aliam valetudinis labem in se animaduertit.

§. XXV.

Sed satis multum dedimus causarum scrutinio; superest vt nunc ad prognosin formandam accedamus, deinde curationis rationalem modum inquiramus. Est autem manifestum illam urinæ detentionem, cui calculus maior in peluim renum illapsus, ibique obhærescens, causam præbet, valde anceps periculum afferre, quoniam & grandior est, quam vt descendere possit, & si per vreteres descendat, angustam ad vesicam portam penetrare nequit. Pessimum est sane, quod nullum hic ab arte chirurgica adferri potest auxilium: spes autem a medicamentorum ope valde est ambigua. Præpollet sane metus finistri euentus, vt vel acuto inflammatorio morbo æger moriatur, vel in hydropem incidat ascitem, vel, si iuuentuti propior est, conuulsus moriatur, vel senex in coma aut apoplexiam incidat. Si vero minor fuerit calculus, qui ægre quidem progredi, promoueri tamen, a copia subsequenti lotii sensim diductis vreteterum lateribus, possit: eueniet vt mali conspicuum leuamentum æger consequatur, quamprimum in vesicam intrusus calculus fuerit.

§. XXVI.

Non opus erit, vt valde laboremus de confirmando, per multas obseruationes adductas, dato præfatio. Pro nobis allegamus sæpius laudatum THEOPH. BONETVM, qui singulorum euentuum comprobationes
per

per sectiones demortuorum adducit: atque ipsi suffragantem in comprobando comatis & apoplexiæ euentu celeberrimum WEPFERVM, in aureo tractatu *de apoplexia*. Quoniam autem modus, quo hæc ex mere mechanica necessitate accidere ita debent, pluribus communis est, de eo deinceps dicemus, quando de ceteris ad prædictionem pertinentibus absoluerimus. Vbi calculus fabulumue vesicam semel subiit, lotii plerumque accidit aliqua notabilis euacuatio & inde solatium non exiguum prouenit, nisi illico maior & angulosus forte calculus, aut asper, collum vesicæ subeat, idque denuo obstructum fiat. Id si accidat redintegratur eadem malorum scena, donec per vrethram ad præputium accedat calculus, vbi plerumque diutius obhærescit, quoniam vrethra ibi angustior est, vbi finitur, quam in reliquo suo itinere. Sed hic facilius ope chirurgiæ succurritur. Si maior sit calculus illapsus, quam vt progredi possit, & periculum inde immineat; iterum hic locus est chirurgiæ auxiliis; quæ quamuis sæua sint & terribilia, tamen præstat experiri, quam certam mortem oppetere. Ea quæ sint, inferius indicare debemus.

§. XXVII.

Misera est res, vbi descendentes calculi inter tunicas vesicæ substiterunt, augmentum ceperunt, & effluxum lotii supprimunt. Aduersus hoc malum ars omnino nihil valet. Vbi excrescentiæ & steatomata in ipso vesicæ cauo sunt, quæ collo se immittunt, idque obturando exitum vrinæ prohibent, arte chirurgica ad tempus succurri potest, sed raro diuturnum est solatium. Eadem si exterius fuerint, res est omnino anticipis euentus, quum ad illum locum vix detur chirurgiæ

giæ

giæ aditus. Hernia si fuerit, in quam latus vesicæ il-
lapsus est, etiam vnicum a cordato & circumspecto
chirurgo illa exspectat solatium, quem providere oportet,
ne festinando salutem ægrotantis pessundet. Quam
fit anceps spes salutis paralytico morbo tentatis, est
omnibus notum: si a casu grauiori cum spinæ dorsi fra-
ctura sit, puto rem conclamatam esse. In simplici ato-
nia per salutaria consilia diætetica, si æger obsequi pos-
sit, effici aliquid potest in non omnino senibus & effœ-
tis. Malæ conformationis vitia medicum non posse
omnino tollere, inter omnes confessum est.

§. XXVIII.

Verum enim vero in hac causarum morbifica-
rum consideratione non illud solum spectandum est,
quod per se quæque earum efficere valet: sed quantum
valeat efficere per maximum malum, quod inde pro-
venit, spasmus, dolores, vigilias, hincque ortas omni-
um actionum, tam naturalium quam vitalium, imo
etiam animalium, peruersiones & imminutiones; vn-
de vitæ ipsi summum periculum nascitur, præcipue
si in corpore iam ante male affecto & his diu perfe-
rendis impari, hæc sæuitia tot symptomatum concur-
rat. Grauiissime, vt solet, hanc rem ostendit illustris
medicus FRID. HOFFMANNVS *medic. systemat. tom. IV. part.*
2. Sect. 2. cap. 6. quod de graui spasmō & dolore vesicæ & ad-
iacentium partium inscribitur. Atque hoc potissimum
est, ad quod animum adiicere debet prudens medicus,
vt ante omnia spasmis secura & efficaci ratione obuiam
eat, quibus sopitis & imminutis maxima periculi pars
sublata est: sæpeque solo antispasmodicorum, tam in-
ternorum quam externorum vsu promptissima tam atro-

D

ci

ci malo medela adfertur. Et sane si cogitemus, quam saepe diu calculi in homine quieti latitent, nullumque incommodum faciant: quodque scirrhi & excrescentiae non subito enascantur, sed diu ante, quam se molestiis produnt, adfuerint, saepeque diuturnas ferias ægrotto concedant: nemo sane animum inducet, durante & per spasmos defæuiente spasmio, aggrediendam esse causam remotam, quæ vel nunquam, vel non nisi difficillime, medicamentis auscultat; sed ad proximam potius omnem intentionem adhibendam esse statuet. Rebus deinde quietis deliberandum est, quid certæ spei superfit ad causam remotam seu antecedentem remouendam.

§. XXIX.

Quare si obtingat ægrotus, cui calculum in ventre subsistere per sua signa intelligimus, perpendantur omnes circumstantiæ. Si plethoricus sit, neque abundantiam nuper imminuerit, periculi partem minuemus parte superflui sanguinis subtracta. Dentur deinde pulueres antispasmodici: iniiciatur enema ex demulcentibus & detergentibus cum oleorum paregoricorum bona quantitate: lumbi inungantur oleis & pinguedinibus, atque hoc factò immittatur balneo aquæ dulcis, cui furfures & aliquæ verbenæ commodæ incoquantur, inque eo satis diu desideat. Si mora longior in balneo molesta fiat, reponatur lecto, lumbisque admoueantur vesicæ bubulæ, decocto idoneo ex anodinis & relaxantibus repletæ. Si æstuet & sitiat ægrotus, præbeantur emulsiones macræ ex seminibus frigidis potissimum minoribus, addito violarum purpurearum semine: interponaturque subinde haustus calidus infusi theæ,

theæ,

theæ, quod singulari laude multi ad leuandos calculo-
 forum dolores commendant: potest etiam olei amyg-
 dalarum dulcium vncia vna vel altera intro dari. At-
 que intra hæc fere subsistit, quicquid ars medica secure
 suadet. Si vehementissime vrgeant dolores, aliquantum
 opiata securioris medicinæ indulgendum est: quæ inter
 valent laude sua pilulæ de cynoglossa, trochisci de halica-
 bo, pilulæ Starkeyanæ aut laudanum liquidum Sydenha-
 mi, in quibus tamen modus ita tenendus est, ne eiulanti
 ægroto nimium indulgeatur. Atque intra hæc subsistit
 medicum auxilium in illa vrinæ detentione, quam cal-
 culus vesicam nondum ingressus producit.

§. XXX.

Idem si fuerit in vesica, aut collo eius, fere ea-
 dem expetit auxilia, nisi quod hic per immissum cathe-
 terem emissio vrinæ satis sæpe facile procuratur; quæ
 eadem utilis est, si intra vesicam hæreant excrescentiæ
 collo se superponentes & lotii progressum intercipientes.
 Debere in talibus ampliores siphones præferri an-
 gustioribus a multis est admonitum. Quod si vero, vt
 sæpe fit, nulla arte intromitti catheter possit, ob tumo-
 rem magnum inflammatorium, aut aliam quamcun-
 que causam, ad pertundendam vesicam lotiumque emit-
 tendum veniri debet: de quo negotio videantur, qui
 ex instituto docent chirurgicas operationes; forteque
 IO. PALFYNVVS diligentissime de hac parte scripsit libri
 iam ante laudati cap. 19. Cui addi potest, vt totius au-
 xilii grauitas tanto magis cognoscatur, LE DRAN in tra-
 ctatu, quem inscripsit *la parallele des tailles*.

§. XXXI.

Quod si vrinæ magna visciditas, aut permixti
 D 2 cum

cum ea grumi sanguinis coagulati, in urethra hærentes, negotium faceffant, aliquid efficiunt vtique resoluentia & coagulum diluendo & incidendo tollentia: qualia ex variis composita ingrediuntur decoctum nephro-catharticum Foresti: sed valde multum indulgeri illis non debet, cum copia inde prouenientis lotii molestiam simul augeat. Commendant aliqui colostrum terebinthinatum, quod paratur, quando terebinthina cum vitello oui subacta adiecto syrupo dialthææ Fernelii, aquis permiscetur. Externa discutientia & resoluentia non improbari possunt, præsertim si simul relaxent. Laudatur cataplasma ex cepis assatis, cum parietaria recenti decocta, admixtis oleis, vt scorpionum, liliorum alborum: etiam aqua catapultaria, l'eau d'arquebusade, pubi & perinæo imposita. Vbi vlcera virgæ vel vesicæ subsunt, profunt iniectiones, quæ ipsius indoli attemperatæ sunt.

§. XXXII.

In tali suppressione aut detentione, quæ ab atonia aut refrigeratione cum humiditate ortum duxit, vsus temperatiorum diureticorum, cum interpositis tonicis, fructum adfert: possuntque tunc adhiberi tincturæ antimonii acres cum Spir. C. C. subiuncto infuso ex radicibus aperitiuis. Neque hic negligenda sunt exterius cataplasmata ex cepis, allio, parietaria. Singulari laude euehit ZWINGERVS *in theatr. p. p. II. pag. 37.* rapam vnã vel alterum vino rubro & aqua decoquendam, donec mollescat, deinde contundendam & pubi ac perinæo imponendam. Multum in his conducit

ducit

ducit ad plenam curationem, si causæ procatarcticæ in vitæ genere latitantes sollicitè emendentur. Sæpe etiam subsunt humorum variæ impuritates salinæ & sulphuræ, quas scorbuticarum nomine accusare solet hæc ætas. His emendandis seorsim studendum est vsu illorum, quæ huic dyscrasiæ medentur. Vidimus tali statu semel iterumque cum fructu exhibitas aliquot guttas spiritus salis communis acidi, iusculo intermixtas.

§. XXXIII.

De illa ischuria, quæ a paralyfi venit, pauca habemus, quæ dici debeant. Facile expeditur ope catheteris, sed vel perpetuo deinde fluit præter voluntatem, vel vbi, educto illo, requiescit fluxus, idem auxilium repeti debet, & interea laborari vt paralyfis curetur. Quod quam sit arduum negotium, & quam tardo successu peragatur, non opus est hic multis declarari. Si non sit plena paralyfis, sed tantum stupor quidam sphincteris, clysmata emollientia, quibus aliquis stimulus adiectus sit, itemque fomentationes cum decoctis neruinis in vino factis, infessusque similes aliquid emolumenti promittunt.

§. XXXIV.

Si quis ultra tempus cohibita vrina deinde impotentiam ad emittendam eam sentit, quantocyus catheteris auxilio eam sibi emittendam curet. Si vero viuat loco, vbi non illico adest apparatus necessarius, cellam profundiore subeat, aut pedes aquæ frigidæ immittat, deinde aliquamdiu decumbat plane supi-

nus. Interea apparetur cataplasma de cepis assatis, quod pubi imponatur: qua ratione urinam profluxisse viro, qui intempestiva verecundia in valetudinis periculum coniectus fuerat, a viro fide digno accepi. Nec sine ratione excogitatum est consilium, quisquis illud dedit: nam pauci sunt, qui ex loco temperato aut calido cellam subeunt, quin sentiant urinæ reddendæ stimulum: notumque est, quantum boreæ flantes ad calculosorum dolores excitandos valeant. Videntur fibræ musculares a frigore in genere ad motum contractionis extimulari: humiditas autem iuncta frigori tanto magis valet ad corrugandas & breuiiores reddendas fibras omnis generis motrices,

§. XXXV.

Iis, qui detentione urinæ ex vehementi spasmo laborant, noxia esse purgantia clare & grauitè pridem docuit HOECHSTETERVS *observat. decad. VI. cas. 2.* adducto exemplo gemmarii, quem contra suum monitum crebro purgantibus exercuerant alii medici, eo-que tenesimum lethalem adduxerant. Eadem remedia magnopere improbat & dissuadet illustris & longissima experientia per omnes partes consummatissimus archiater FRIDERICVS HOFFMANNVS, qui loco, quem supra indicauimus p. 421. §. 3. in hunc sensum scribit: *in omnibus vesicæ doloribus & spasmis, a quacunque etiam causa proficiscantur, validiora purgantia nunquam exhibere conuenit, neque in principio, neque in progressu: metuendum enim est, ne exagitati humores ad partes afflictas magis impellantur & præcipitentur.*

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Eidem grauiſſimo auctori debemus illam admonitionem, qua vſum thermarum diſſuadet, quam totam ipſius verbis adſcribam, illiſque tanquam gemma hanc diſſertationem obſignabo: *vbi ingens veſicam & ei connexas partes corripuit exulceratio, que ex copioſo viſcidae materie ſedimento & lenta quadam vires & carnem depaſcente febre apparet; ab interno & largiori Carolinarum vſu abſtinendum eſſe, ex damno, quod inde emerſit, maximo didici: ob ſtagnantem enim aquam & corruptio & febris intenditur.*

F I N I S.



NOBI-

NOBILISSIMO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO

P. S. D.

PRAESES.

Non possum quin TIBI, per aliquantum tempus conui-
ctori suavissimo, gratuler hodiernum diem, qui vi-
tae academicæ, cum probitatis & diligentiae perpetua
laude peractæ, finem affert, TEque honoribus, quos virtus
& eruditio tua promeruit, ornatum patriæ dulcissimæ remit-
tit. Annus iam abiit, ex quo TE primum cognoui, Lipsia
ad nos profectum, ut amico, summis in arte medica honori-
bus exornando, gratulareris. Insigniter id mihi placuit,
quod non otiosus spectator esse volebas, aut satis ducebas au-
dire quid alii differerent, verum ipsemet, quum honoris
causa TE compellaret amicus, eruditis obiectionibus & illi
sententiam suam comprobandi, suaque asserta vindicandi oc-
casionem & omnibus, qui TE tunc mecum audiebant, collau-
dandi illam, qua polles, differendi facultatem, & ingenium
ac iudicium cum modestia & perspicuitate coniunctum admi-
randi, causam præbebas. Hoc fuit initium amoris in TE
mei, cui multum accessit postquam TE propius planeque do-
mi inspexi, tuamque diligentiam in perquirendo & dexteri-
tatem in diiudicando cognoui. Perspicient has dotes in TE,
quotquot æque, ut mihi licuit, te familiariter vtentur: fru-
ctum autem amplissimum a TE capient, qui experimentum
tuæ in medendo dexteritatis capturi sunt. Ego TIBI feli-
cem illum, quem meditaris, ad TVOS reditum voueo,
utque omnia bene succedant & eueniant, ex animo

apprecor. Vale. a. d. XVIII. IULII

clb lcccxxxviii.

∞) o (∞